

QVINTI HORATII FLACCI



LIBRI I SERMO I

*Iōannēs Paulus Ferdinandī Flūminis sive Murgensis
modō Iōhannis Oerbergis composuit.*

Hoc opus consignatum est sub [Creative Commons diplomate](#)

IN AVAROS

[*Ex Q. Horātii Flaccī ‘Sermōnēs’ librō I, sermō I*]

Quī fit, Maecēnās, ut nēmō, quam sibi sortem
seu ratiō dederit seu fors obiēcerit, illā
contentus vīvat, laudet dīversa sequentīs?

“Ō fortunātī mercātōrēs!” gravis annis

5 mīles ait, multō iam fractus membra labōre;
contrā mercātor nāvem iactantibus Austrīs:

“Mīlitia est potior. Quid enim? Concurritur: hōrae
mōmentō cita mors venit aut victōria laeta.”

Agricolam laudat iūris lēgumque perītus,

10 sub gallī cantum cōnsultor ubi ostia pulsat;
ille, datīs vadibus quī rūre extractus in urbem est,
sōlōs fēlicīs vīventīs clāmat in urbe.

Cētera dē genere hōc — adeō sunt multa —

loquācem

dēlassāre valent Fabium. Nē tē morer, audī,

15 quō rem dēdūcam. Sī quis deus “ēn ego” dīcat
“iam faciam quod voltis: eris tū, quī modo mīles,
mercātor; tū, cōnsultus modo, rūsticus: hinc vōs,
vōs hinc mūtātīs discēdite partibus. Eīa!
Quid stātis?” nōlint; atquī licet esse beātīs.

20 Quid causae est meritō quīn illīs Iūppiter ambās
īrātus buccās inflet, neque sē fore posthāc
tam facilem dīcat vōtīs ut praebeat aurem?
Praetereā, nē sic ut quī ioculāria rīdēns
percurram — quamquam rīdentem dīcere vērum

quī = quōmodo
Maecēnās -ātis *m*: amī-
cus et patrōnus Horātii
fors -rtis *f* = fortunā
dīversa *ītinera*
sequentīs: sequentēs
(*acc pl*)
gravis: gravidus

fracta membra multō
labōre

citus -a -um = citātus

ille: iūris perītus
vas vadīs *m* = quī prō
aliquō in iūdicō adest;
darī vas: vas esse
: fēlicēs vīventēs esse
loquax -ācis < loquī =
nimium loquēns
dē-lassāre = fatigāre
: ad dēlassandum
Fabius: quīdam stōicus
philosophus
morārī: moram alicui
ferre
voltis: vultis [homō
cōnsultus -ī *m* = perītus
mūtātīs partibus: officio
aliūs ab aliō receptō
meritō *adv* < meritus
buccae *f pl* = genae;
ambās buccās inflāre:
īrāscī
vōtūm -i *n* < vovēre =
(deō) prōmissum; sup-
plex
praeberē aurem alicui
reī: audīre aliquid
ioculāria -ium *n pl* =
nūgae
percurram: peragam

Q. HORATII FLACCI LIBRI I SERMO I

elementa -ōrum *n pl* = litterae
 ut p̄ima elementa discere vēlint
 ā-movēre = re-movēre
 āmōtō lūdō: āmōtīs nūgīs

caupō -ōnis *m* = tabernārius




crustulum -ī *n*

cibāria -ōrum *n pl* = cibus

parvola: parvula

formīca -ae *f*



in-vertere: (annum) inversum: coeptum
 con-tristāre = trīstitiā afficere
 prō-rēpere

fervidus -a -um = fervēns
 aestus -ūs *m* > aestuōsus
 dē-movēre = re-movēre
 dītiōr = dīvitior
 tē: quam tū

furtim = clam
 dē-fodere -fōdisse -fossū = fossam dūcere
 redigātur: reddātur
 com-minuere = minuere
 cōn-struere = cōn-ferre

terere trīvisse trītum : ferre

hōc = ideō, proptereā

rētīculum -ī *n* = saccus
 onustus -a -um < onus

portārit: portāverit
 fīnīs: fīnēs

quid vetat? Ut puerīs ōlim dant crustula blandī 25

doctōrēs, elementa vēlint ut discere p̄ima —,

sed tamen āmōtō quaerāmus sēria lūdō:

ille gravem dūrō terram quī vertit arātrō,

perfidus hic caupō, mīles nautaeque, per omne

audāces mare quī currunt, hāc mente labōrem 30

sēsē ferre, senēs ut in ōtia tūta recēdant,

āiunt, cum sibi sint congesta cibāria; sicut

parvola — nam exemplō est — magnī formīca

labōris

ōre trahit quodcumque potest atque addit acervō

quem struit, haud ignāra ac nōn incauta futūri. 35

Quae, simul inversum contristat Aquārius annum,

nōn usquam prōrēpit et illīs ūtitur ante

quaesītīs sapiēns, cum tē neque fervidus aestus

dēmoveat lucrō neque hiems, ignis, mare, ferrum,

nīl obstat tibi, dum nē sit tē dītiōr alter. 40

Quid iuvat immēnsū tē argentī pondus et aurī

furtim dēfossā timidum dēpōnere terrā?

“Quod, sī comminuās, vīlem redigātur ad assem.”

At nī id fit, quid habet pulchrī cōnstructus acervus?

Mīlia frūmentī tua trīverit ārea centum, 45

nōn tuus hōc capiet venter plūs ac meus; ut, sī

rētīculum pānis vēnālis inter onustō

forte vehās umerō, nihilō plūs accipiās quam

quī nīl portārit. Vel dic quid rēferat intrā

nātūrae fīnīs vīventī, iūgera centum an 50

mille aret? “At suāve est ex magnō tollere acervō.”

Dum ex parvō nōbis tantundem haurīre relinqūās,
cūr tua plūs laudēs cumerīs grānāria nostrīs?

Ut tibi sī sit opus liquidī nōn amplius urnā

55 vel cyathō et dīcās “magnō dē flūmine malle
quam ex hōc fonticulō tantundem sūmere.” Eō fit,
plēnior ut sī quōs dēlectet cōpia iustō,
cum rīpā simul āvolsōs ferat Aufidus ācer.

At quī tantulī eget quantō est opus, is neque līmō

60 turbatam haurit aquam neque vītā āmittit in undīs.

At bona pars hominum dēcepta cupīdine falsō
“nīl satis est”, inquit, “quia tantī quantum habeās
sīs.”

Quid faciās illī? Iubeās miserum esse, libenter
quātenus id facit, ut quīdam memorātur Athēnīs

65 sordidus ac dīves, populī contemnere vōcēs
sīc solitus: “populus mē sībilat, at mihi plaudō
ipse domī, simul ac nummōs contemplor in arcā.”

Tantalus ā labrīs sitiēns fugientia captat
flūmina — quid rīdēs? Mūtātō nōmine dē tē

70 fābula nārrātur: congestīs undique saccīs
indormīs inhiāns et tamquam parcere sacris
cōgeris aut pictīs tamquam gaudēre tabellīs.
Nescīs, quō valeat nummus, quem praebat ūsum?

Pānis emātur, holus, vīnī sextārius; adde

75 quīs hūmāna sibī doleat nātūra negātīs.

suāvis -e = iucundus,
dulcis
cumera -ae f = arca quae
frūmentō implētur
grānārium -ī n = aedifi-
cium in quō frūmentum
dēpōnitur
liquidum -ī n = aqua
fonticulus -ī m = rīvus



arca -ae f

avolsōs: avulsōs
tantulum -ī n = tam pa-
rum
turbatam: sordidam

cyathus -ī m



urna -ae f

quātenus = quoad

sībilāre = sonum acūtum
flendō facere; quī dis-
plicet populō sībilātur
Tantalus -ī m: aeternae
famis sitisque vir con-
demnātus
captāre = capere cōnārī

in-dormīre < in+dormīre
inhiāre = cupīre, avēre
tabella: parvum opus
pictum

sextārius -ī m = XII cya-
thī; sexta pars alicuius
reī

: iīs quae sī negantur, hū-
māna nātūra sibi doleat
sibī: sibi

Q. HORATII FLACCI LIBRI I SERMO I

<p>ex-animis -e < examinare</p> <p>formidare > formido -inis com-pilare = spoliare optarim: optaverim pauperrimus (horum bonorum): expertus con-dolere = nimium dolere temptatum: oppressum af-figere < ad+figere <i>num</i> habes ... propinquus? as-sidere = iuxta sidere fomenta -orum <i>n pl</i> = res qua dolores leniuntur</p>	<p>An vigilare metum exanimem, noctesque diesque formidare malos furis, incendia, servos, ne te compilent fugientes, hoc iuvat? Horum semper ego optarim pauperrimus esse bonorum. At si condoluit temptatum frigore corpus 80 aut alius casus lecto te affixit, habes qui assideat, fomenta paret, medicum roget ut te suscitet ac reddat natis carisque propinquis?</p>
<p>vult: vult</p>	<p>Non uxor salvum te vult, non filius; omnes vicini oderunt, noti, pueri atque puellae. 85</p>
<p>argentum post omnia ponas: anteponas omnibus argentum</p>	<p>Miraris, cum tu argentum post omnia ponas, si neminem praestet, quem non merearis, amorem?</p>
<p>quos natura tibi dat nullo labore</p>	<p>An si cognatos, nullo natura labore quos tibi dat, retinere velis servareque amicos, infelix operam perdas, ut si quis asellum 90 in Campo doceat parentem currere frenis?</p>
<p>asellus -i <i>m</i> = asinus parvus Campo Martio parere frenum -i <i>n</i> = id quod equi reguntur : et quod plus habes, eodem minus pauperiem metuas pauperies -ei <i>f</i> < pauper parere peperisse partum</p>	<p>Denique sit finis quaerendi, quoque habes plus, pauperiem metuas minus et finire laborem incipias partem quod avebas, ne facias quod Ummidius quidam. Non longa est fabula: dives 95 ut metiretur nummos, ita sordidus, ut se non umquam servum melius vestiret, ad usque supremum tempus ne se penuria victus opprimeret metuabat. At hunc liberta securi divisit medium, fortissima Tyndaridarum. 100</p>
<p>Ummidius -i <i>m</i></p> <p>supremum tempus: ultimus dies vitae victus -us <i>m</i> = cibaria, cibum metuabat ne ... opprimeret liberta -ae <i>f</i> = serva liberta Tyndaris -idis <i>f</i> prognata Tyndari, regis Sparta aut: vel Naevius et Nomentanus pauper erant (v. infra) secum: inter se</p>	<p>“Quid mihi igitur suades? Ut vivam Naevius aut sic ut Nomentanus?” Pergis pugnantia secum</p>

frontibus adversīs compōnere. Non ego avārum
 cum vetō tē, fierī vappam iubeō ac nebulōnem:
 105 est inter Tanain quiddam socerumque Visellī,
 est modus in rēbus, sunt certī dēnique finēs,
 quōs ultrā citrāque nequit cōsistere rēctum.
 Illūc, unde abii, redeō: nēmō est ut avārus
 sē probet ac potius laudet dīversa sequentīs,
 110 quodque aliēna capella gerat distentius ūber
 tābēscat, neque sē māiōrī pauperiōrum
 turbae comparet, hunc atque hunc superāre labōret.
 Sīc festīnantī semper locuplētior obstat,
 ut cum carceribus missōs rapit ungula currūs,
 115 īnstat equīs aurīga suōs vincentibus, illum
 praeteritum temnēs extrēmōs inter euntem.
 Inde fit ut rārō quī sē vīxisse beātum
 dīcat et exāctō contentus tempore vītā
 cēdat, utī convīva satur, reperīre queāmus.
 120 Iam satis est. Nē mē Crispīnī scrīnia lippī
 compīlāsse putēs, verbum nōn amplius addam.

COMMENTARIUM

Horātius duōs librōs saturārum scrīpsit. Saturā opus
 est quō vitia reprehenduntur: Horātius primā saturā
 avāritiam damnat avārōrum mōrēs dērīdēns. Auctor
 saturās suās nuncupāvit ‘Sermōnēs’, quia cum vitiō
 sē colloquī vidētur. Cum vitium loquitur, dicta inter
 signa “ ” interclūduntur, ut “Quid mī igitur suādēs?”

compōnere: iungere
 vappa -ae *m* = quī ea
 quibus eget semper ex
 aliīs adipiscitur
 nebulō -ōnis *m* = vir
 ōtīosus et fallāx
 Tanais -is *m* (*acc* -in)
 Visellus -ī *m*
 cōsistere: locārī [num
 rēctum: iūs, iūstum, bō-
 certum est ut nēmō, *quī*
 avārus *est*, sē probet ...
 sequentīs: sequentēs
 capella -ae *f* = capra
 parva
 distentus -a -um = gra-
 vidus, plēnus
 tābēscat *odiō*
sed hunc atque hunc ...
 carcer: locus ubi cursūs
 incipiunt [(equī)
 ungula -ae *f* = unguis
 missōs: actōs
 rapit: persequitur
 vincentibus: quī cursūs
 prīmī sunt
 temnere = contemnere
 extrēmōs: ultimōs

(vītā) cēdere: excēdere

satur -ura -urum < satis
 scrīnium -ī *n* = arca par-
 va et rotunda in quā ser-
 vantur scrīpta
 lippus -a -um = quī prā-
 vē videt

saturā -ae *f*

fors
 vas
 buccae
 vōtum
 crustulum
 ioculāria
 elementa
 caupō
 cibāria
 formīca
 rēticulum
 cumera
 grānārium
 liquidum
 urna
 cyathus
 fonticulus
 tantulum
 arca
 sextārius
 fōmenta
 asellus
 frēnum
 pauperiēs
 victus
 līberta
 vappa
 nebulō
 capella
 ungula
 scrīnium
 satura
 citus
 loquax
 cōsultus
 fervidus
 aestus
 dītor
 onustus
 suāvis

Prīmum expōnit omnēs dīversa sequentēs laudāre: mīles mercātōrem, hic illem esse vellet. Est hoc avārōrum, cum et ipsōrum et aliōrum sortem aveant. Exemplō iocōsō id significat: sī quis deus partēs eōrum mūtāret, nollent, neque enim ipsōrum sortem āmittere volunt.

Ut hōc, ita multīs ioculāriīs avārōs dērīdet, nam ‘rīdentem dīcere vērū quid vetat?’ Etenim pergit illūdere aliō lūdō: avārī sunt tamquam formīcae quōcumque inveniunt acervum struentēs nē temporibus futūrīs egeant. Tamen illīs sapientiōrēs sunt formīcae: illae enim, nē labōrent, ante quaesītīs ūtuntur, cum tamen avārī nēquāquam acervum tangant, quamvīs labōrent. Tum Horātius rīdiculus quaerit ‘quid habeat pulchrī cōnstructus acervus.’ Etiam rīdet eōs sordidōs ac dīvitēs, ut Athēniensem et Ummidium, similēs ac Tantalum iūdicāns, quī, quamquam ad suam manum erant ea, quibus egēbat, fruī nequībat. Et nōs stimulat ut sūmptum faciāmus in eās rēs ‘quās hūmāna sibi doleat nātūra negātās.’ Id est, ea sine quibus homō vīvere nōn potest. Nec tamen partīs necessāriīs quaerere et labōrāre pergere oportet.

Etiam ut idem sit opus cui multa congerit ac pauca, tamen avārūs dīcit ‘suāve esse ex magnō tollere acervō.’ Rēspondet Horātius avārōs perīculum ingredī: quī magnō dē flūmine tantundem

quam ex fonticulō sūmere mālunt, vītā āmittere in undīs. Significat auctor perīcula, quae avāritia capit, nōn iuvāre: perpetuō timent nē bona incendiō absūmantur nēve ā fūribus et servīs compīentur et interficiantur, ut accidit Ummidiō. Quārē inquit: “Hōrum semper ego optārim pauperrimus esse bonōrum.”

Et praestat alia quam dīvitiās servāre, cum hae nōn tē cūrent nec ament, ut faciunt familiārēs.

Nōlī inde putāre Horātium suādēre ut vappa sīs: “est modus in rēbus” inquit, ergō in modō est virtūs, ut ait Aristotelēs.

Fīnit Horātius dīcēns nēminem sē probāre ob avāritiam, omnēs enim magis magisque esse cupīre et aliōs superāre: paucōs vītā cēdere uti convīvas saturōs.

Etiam auctor dērīdet philosophōs stōicōs, quī multīs exemplīs monent: ipse ut illī exemplīs ūtitur, sed iocōsē agit. Tālis fuit Horātius, quī dērīdendō persuādēbat.

exanimis
distentus
satur
lippus
dēlassāre
āmōvēre
contristāre
prōrēpere
dēmōvēre
dēfodere
comminuere
cōnstruere
sībilāre
captāre
indormīre
inhiāre
formīdāre
compīlāre
condolēre
affigere
assidēre
temnere
quī
meritō
furtīm
hōc
quātenus